Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 929
Quelle:
Copyright:

eterna et consummata glorie plenitudo. Deo gratias. Explicit liber Cassiodori de dilectione seu caritate dei. Opuscula haec duo, quae unum potius *Tractatum* constituunt, jam *Trithemius Scriptt. Eccl.* n. 395. *Petro Blesensi* Archidiac. *Bathoniensi* Scriptori Sec. XII. tribuerat. Itaque recte *Joh. Garetius* in Edit. *Opp. Cassiodori, Rotom.* 1679. f. ea praetermisit. Edidit vero primum sub *Petri* nomine *Jac. Merlinus Paris.* 1519. et post *Joh. Busaeum Petrus de Gussanvilla* in *Opp. omn. Petri Blesensis Paris.* 1667. f. p. 497. unde collatione instituta didici, nostro in *Codice* transposita esse *Opusculi I. Capita* X. et XI. *Opusculi II. Capita* XX. et XXI. in unum confluxisse, deesse praeterea *Capp.* XIV — XVII. XXII. XXVI — XXVIII. XXXIV. et XXXVII.

V. *fol.* 50. *Incipit liber Cassiodori de anima.* Prima verba: *Cum iam suscepti operis optato fine gauderem* &c. Mancus est, desinitque in ea C. II. verba: *quam longe subtiliorem aere et lucidiorem debemus aduertere* — —. Extat integer in *edit. cit. Garetii* T. II. p. 627.

VI. *fol.* 53. *Incipit liber beati Augustini de predestinatione diuina.* Initium: *Cum sacrarum voluminibus literarum seu futurorum quid prophetico spiritu pronunciantibus* &c. Finis: *in ymam contumacie voraginem decidamus.* Non est *Augustini*, neque *Fulgentii* Ruspensis, cui pariter suppositus fuit, imo eorum potius doctrinae contrarius et *Cassiano* favens, unde jam a *Lovaniensibus* rejectus, nunc in *Append. T. X. Edit. Maurianae col.* 50. legitur.

VII. *fol.* 58. *Incipit liber beati Augustini ad Dardanum de presentia dei.* Incipit: *Fateor me super* (frater) *dilectissime dardane* &c. Finit: *medicinam qua concedis et veniam.* Liber hic epistolaris est in *Edit. supracit.* T. II. *col.* 678. Epistola CLXXXVII.

VIII. *fol.* 64. *Incipit Augustinus contra quinque genera hostium.* Initium: *Debitor sum fratres fateor non necessitate sed quod uehemencius est caritate* &c. Finis: *qui credentes in se custodit in secula seculorum Amen.* Opusculum hoc, quod *Cod.* CCXXII. mancum indicavimus, *Augustino* subpositum et a *Maurianis* in *Append.* T. VIII. p. 1. retrusum, integrum hic extat, et redit alibi.

IX. *fol.* 72. *Incipit liber dyalogi Sancti Gregorij pape, Liber primus.* Initium: *Quadam die nimis quorundam secularium tumultibus depressus* &c. Libri IV. finis: *si ante mortem deo hostia ipsi fuerimus.* Integri, prout in editione *Opp. Gregorii Mauriana Paris.* 1705. T. II. *col.* 149. f. nec spernendae lectionis. Ad calcem adest Index.

X. *fol.* 133. Collectio quorundam *Sermonum* hac serie. *Sermo de XII. partibus miserie et XII. partibus beatitudinis eterne. Ad religiosos.* Init. *Tristicia vestra uertetur in gaudium. Joh. 16. Quia vero intentio christi fuit ad*